



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Caluinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Acta Apostolorum to. primus

Stapleton, Thomas

Antverpiæ, 1595

28. Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39424

28. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.*

Praepositorum Ecclesiae tum officium, tum acceptam à Deo potestatem, luculenter hic locus demonstrat. Ad officium quod attinet, duplex Apostolus ponit: primum, ut sibi ac vitae suae puritati, ne vi impetur ministerium ipsum; deinde, ut gregi sibi commissio non ex parte sed vniuerso attendant; curam & operam diligenter impendant. Ad acceptam à Deo potestatem quod attinet, in memoriam illis reuocat, ab ipso Spiritu S. positos illos esse, ut regant Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo: ubi ex tribus circumstantiis potestatis magnitudinem demonstrat; ab authore, ab onere iniuncto, ab oneris ipsius dignitate & excellentia. Author Spiritus S. est, quia non humana sed diuina institutio est, ut aliqui in Ecclesia alijs praeficiantur; nec humanam sed diuinam potestatem exercent, qui ad hoc opus assumuntur; nec denique humanis sed diuinis praesidijs nituntur, spirituali gratia imbuuntur, cerco Sacramento initiantur, qui ad hanc praefecturam vocantur. Onus iniunctum est, regere Ecclesiam Dei. Verbum *ποιμαίνειν*, quo Paulus utitur, tam regere quam pascere significat, quo verbo Beza uti maluit;

Praepositorum Ecclesiae officium & potestas
2. Cor. 6. 3

Potestatis magnitudo ex triplici capite.

Luc. 10.

maluit; quum regendi verbum Calvinus hic retineat. Sanè pascere non potest vtiliter, qui cum aliqua auctoritate nō pascit. Eam verò tantam esse Christus voluit, vt futuris Pastoribus dixerit: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Oneris iniuncti dignitas in eo efficaciter exprimitur, quòd pascendi ac regendi cōmittuntur non quilibet homines, sed Deo chari ac dilecti; atque ita dilecti, vt pro eis acquirendis sanguinē suum Dei Filius homo factus fuerit: quasi dicat, Non serui aut mancipia Domini, sed ipsi filij familias, & quidem quos sibi Pater familias maximo sudore comparauit, vestra cura & gubernationi committuntur. Et quidem horum pleraque agnoscit hoc loco Calvinus, sed ita, vt aliquo suo toxico aspergendo abstinere non potuerit. *Hoc* (inquit) *peculiariter Spiritui Paulus tribuit, per quem Deus Ecclesiam suam gubernat, & qui diuinę vocationis arcanus vnicuique testis est in sua conscientia.* In his postremis verbis pestiferum later venenum, illos in Ecclesia Christi à Spiritu S. ad eam pascendam ac regendam constitui, illos Pastores ac Episcopos habendos esse, qui tamen ab hominibus non mittantur, *sua tamen diuinę vocationis*, id est, quòd à solo Deo vocati fuerint, *arcanum habent in sua conscientia diuini Spiritus testimonium.* Hoc suum figmentū pestilēs paulò apertius suprà aperuit Calu. vbi & illud certa ratione iugulauimus.

* Sup. ad
caput 13.
ver. 2. Se-
gregate
mibi Pau-
lum, &c.

ulmus. Mystica enim hæc est ipsius Caluini, Vireti, Farelli, & imaginaria vocatio, qua fulti Geneuæ se Apostolos conscripserunt. Eius refutationem videre lector, si volet, potest hoc loco hinc notato.

Sed simplici hoc vulnere non contentus, ex alio adhuc latere latrat ac mordet hic canis. *De voce* (inquit) *Episcopi breuiter hoc notandum est, omnes Ephesinos Presbyteros indifferenter à Paulo sic vocari: unde colligimus, secundum Scripturam usum nihil à Presbyteris differre Episcopos, sed vitio & corruptela factum esse, ut qui primas tenebant in singulis ciuitatibus, Episcopi vocari ceperint.* Collectio hæc futilis, & crimen obiectum vanum atque insulsum est. Ex hoc Pauli sermone colligi quidem potest, Episcopi & Presbyteri vocabulum, quum hæc Paulus loqueretur, adhuc promiscuè usurpatum fuisse, quod & Theodorus in priorum ad Timotheum, & Ambrosius in epistola ad Ephesios, & maximè Hieronymus in Epist. ad Euagrium annotarunt: ipso tamen Apostolorum tempore Episcopos à Presbyteris nihil differre, nullum potestatis discrimen fuisse, ex hoc loco colligi non potest. Et ipsos quidem maiores natu seu Presbyteros Ephesinos positos fuisse Episcopos seu speculatores in grege dominico, affirmat hinc Paulus, quia speculandi & superintendendi officium tam Pastori parochio, quam muliarum ciuitatum Episcopo incumbit, sed propriè

P p dictas

In Com. t
ad Tim. 3a
& ad Eph. 4.

dictos Episcopos illos fuisse, quorū quisque in aliqua ciuitate primas teneret (vt Presbyterum Episcopum Calvinus hic describit) nec Paulus aut Lucas affirmat, nec verò affine est, quum vnus ciuitatis Ephesi Presbyteri huiusmodi quibus vnus propriè Episcopus et si eo forrè tempore nō præsuit, Paulo ipso Asiaticas Ecclesias adhuc peragante, postea tamen & D. Ioannem, & B. Timotheum, illi ciuitati toti veluti Episcopos præsuisse, quibus Presbyteri vt capiti suo subessent, (vnde ad Timotheum Paulus: *Aduersus Presbyterum, nisi sub duobus aut tribus testibus, accusationem non recipias*) omnes Historiæ Ecclesiasticæ luculenter attestantur. Crimen obiectum insulsum ac putidum est; non enim vitio aliquo aut corruptela, sed ex *necessaria schismatis vitandi, pacis & ordinis conseruandi causa, toto orbe decretū est* (ait ^aB. Hieronymus) *vt inter Presbyteros vnus eligeretur, qui ceteris præsset; qui vel summus Sacerdos, vel ex Ecclesiæ vfu* (ait ^bB. August.) Episcopus diceretur, quem *supra omnes principatum habere* scribit ^cIgnatius, qualem *in singulis maioribus ciuitatibus Apostoli ipsi constituerunt*, ait ^dS. Irenæus, quem *πρωτοκλ* vocat ^eIustinus Martyr, Antistitem ceteris prælatus, *præpositum Ecclesiarum* vocat ^fCyprianus, & frequenter ^gD. Augustinus, Pontificem seu *ιεροπρεσβυτερος* vocat ^hDionysius Areopagita. Sed hos omnes Patres, & que omnia totius Christiani orbis Hierarch.

Episcopi
à Presbytero
distinctio.

1. Tim. 5.
19.

^a In Ep. ad
Euagrium.

^b Epist. 19

^c Epist. ad
Trall.

^d Lib. 4. c.

43. & 63.

^e Apoc.

gia 2.

^f Lib. 4.

epist. 9.

^g De ciui-

tat. Dei

lib. 20. c. 9

^h Eccles.

Hierarch.

Con
plic
reba
ynu
tuu
Calu
aliqu
quia
nes S
ritus
grau
Min
lingu
(inqu
in sing
vitiu
ergo
byter
cat S
ad Pl
pos &
fi Ep
guar
nibili
euan
Se
non c
Episc
in nu
certè
gnita

Concilia, in quibus soli Episcopi, non simplices Presbyteri, confidebant, suffragia ferebant, iudicabāt, *vitio & corruptela laborasse*, vnus Aristarchus, censor, & dictator perpetuus, Calvinus affirmat. At quid ira, bone Caluine? *Vitium* (inquit) dico, non quod vnum aliquem in singulis collegijs eminere malum sit, sed quia hac audacia minimè tolerabilis est, dum homines Scripturæ nomina ad suum morem flectendo Spiritus S. linguam mutare non dubitant. Habemus grauissimi Censoris dictatoriam sententiā. Minimè tolerabilis est audacia, Spiritus S. linguam mutare. At quis eam mutat? Illi (inquit Calvinus) qui Episcopos illos vocant, qui in singulis ciuitatibus primas tenent. Hoc enim vitium & corruptelam vocat. Quomodo ergo vocari debent auctore Caluino? Presbyteri ac Seniores. Atqui eosdem Episcopos vocat Scriptura, vt hoc loco Paulus, & iterum ad Philip. 1. vbi salutat Patilus omnes Episcopos & Diaconos qui erant Philippis. Tales igitur si Episcopi hodie vocantur, Spiritus S. lingua non mutatur, sed seruatur. Ita hæc terribilis dictatoris nostri sententia in fumos euauit.

Sed illud fortè Caluinum malè habuit, non quod qui primas tenent in ciuitatibus, Episcopi vocantur, sed quod ipse Calvinus in nulla adhuc ciuitate primas teneret, aut certè primas tenens Episcopalem tamen dignitatē & eius dignitatis possessiones am-

P p 2 plas

Caluinā
ridicula
accusatio.

Episcopi
vocab. lū
Caluinus
non fe-
rens, pos-
sessiones
ambiuit.

Inter ep.
Calu. ep. 6
& 66.

Collegia
Seniorum
Caluinia-
na.

Consisto-
rium Ge-
neuenſe.

plas aſſequutus non erat. De hoc enim apud
ſuū Farellum & Viretum grauiter conqui-
ritur Caluinus. *Dominus* (inquit) iam *vide-*
dat, quantum præcipiti iudicio vehementiaque in-
consulta abiiciendi ita Pontificis nocuerimus. Alio-
qui à primatu Episcopali non abhorret Cal-
uinus, ſed *in ſingulis collegijs*, vt loquitur, (qui
id iam Geneuæ obtinuerat) non in ſingulis
ciuitatibus, quod obtinere ſe poſſe deſpera-
bat. Collegia quippe quæ Caluinus hic in-
telligit, non ſunt collegia *Presbyterorum*,
qualia antiquitas meminit, quæ ex ſolis *Pre-*
byteris ſeu *Sacerdotibus* conſtabant, è quib-
us ipſe Episcopus non erat, ſed toti col-
legio præerat; qui Episcopo à cōſilijs erant,
quoties eorum conſilio & conſeſſu vi vo-
luit aut oportuit; ſed ſunt nouo vocabulo
Conſistoria Seniorum, ex cerebro Caluini Ge-
neuæ nata circa annum Domini 1541. tam
ex laicis (idque maiori numero, quum ſex
Ministri, duodecim ciues *Conſistorium Ge-*
neuēſe conſtituāt) quàm ex Miniſtris coag-
mentata; monſtrum abſurdum, infame, in-
gens, ſeditionum Gallicarum ſtabellum ac
fomentum, non ſolum ab Eccleſia Catholi-
ca, vt prophana nouitas, reiectum, damna-
tum, anathematizatū, ſed ab alijs Nouato-
ribus & ſectarijs egregiè exagitatū; à Zan-
chio contra Caluinum, ab Eraſto cōtra Be-
zam, à Petro Ramo contra vtrumque, qui
illud *Talmud Sabaudicum* nuncupans, acerrime con-

mè contrà inuehitur; ab Ecclesijs omnibus Germanicis & Helueticis, & hodie Anglicana, procacissimè repudiatum: lacerantibus illud, scriptisque publicis condemnantibus, in locis cōmunibus Musculo; in cōmētarijs ad Paulum* Gualtero; in defensione contra Puritanos, huius Consistorij Caluiniani Zelatores, Ioāne VVithgift, Cātuariensi nunc pseudoarchiepiscopo. Sanè nec Germani Lutherani, nec Helueticus Zuīngliani, nec Anglocaluinistæ Spiritus S. linguā se mutasse existimāt, qui omnes (Consistorio Caluiniano & Collegio reiecto) vel Superintendentibus Episcoporum loca tenentibus, vel Magistratui loci Euangelico, vel ipso retento Ecclesiæ vocabulo, Episcopis & Archiepiscopis (in sola Anglia schismatica) in vnaquaque ciuitate maiore primas partes tribuunt. Cæterum Calvinus ipse, qui Geneuæ, aut in Gallicanis suis Ecclesijs (vt sese nuncupant) reformatis, aut Scotia, qui ad normā Geneuensem in 50. Cōsistoria suas nouellas Ecclesias distribuerūt, nullum Episcopum agnosci patitur, sed Pastori primum locum tribuit, nōne Spiritus S. linguam vel maximè mutare deprehenditur? Paulus quippe Episcopi officium

In cap. de
Magistra-
tibus.
*In com.
1. Cor. 5.

Ad Ti-
moth. &
ad Titum.

prolixè tractat: quod vt cuilibet Pastori conueniat, Episcopo tamen maximè conuenire dubitari non potest. Cur quem Paulus Episcopum describit, non nisi Pastorem

P p 3 agnoscit

agnoscit Calvinus? Sed homo audax omnia sibi fabricandi & inuertendi potestatem permittit: Ecclesiæ Apostolicæ, quæ Episcopos à Presbyteris distinctos habuit (vt nuper annotauimus) vocabulorum, quæ aliquādo promiscua fuerunt, certam & fixam constitutionem non permittit.

CAP. XXII.

14. *Deus Patrum nostrorum præordinauit te, vt cognosceres voluntatem eius.*

DVplicē hoc loco cauillandi ansam Calvinus arripuit. Primam hoc modo instituit. *Paulus* (inquit) *ab Anania* his verbis admonetur, se à Deo respectum, quo tempore vagus & à sua salute prorsus auersus erat. Atque ita Dei prædestinatio omnes præparationes abolet, quas *Sophistæ* imaginantur, quasi libero suo arbitrio hominē anteuertere Dei gratiam. Cauillator putidus Catholicorum sententiam (quos more suo Sophistas appellat) aut crasse ac turpiter ignorauit, aut cauteriata cōscientia calumniatur. Præparationes ad primam gratiam seu remissionem peccatorum & reconciliationem cum Deo, quas Catholici Doctores in adultis impijs ad Deum conuerti volentibus iuxta Scripturas statuunt, adeò Dei gratiam non anteuertunt, vt nō nisi ex præueniente Dei gratia, eaque speciali, nascentur.

Præparationes ad primā gratiam omnem Dei gratiam non anteuertunt.